Vincentini, et exitus ac introitus castri totaliter prohibetur. Post obsidionem autem ~~quatuor~~ IIIIor menssium obsessi milites et populares gratiam obsidentium invenire cupientes, primo castrum, deinde turrim munitissimam et ipsum facinorosum tyrannum cum uxore, VI filiis, duabus filiabus, in manus hostium tradiderunt. A quibus variis lacerationibus et collisionibus occidunt[ur]. Sicque infra spatium XI menssium duo illi fratres feroces quasi dracones extincti sunt. Tali fine concluditur tremenda potentia a scelerata parentela et abbreviata gloria Ecelini.

a spo[a]

- - - - - - - - - - - - - - - - - - - -

C. 232. ande Martin.

CCXXIIII. Capitulum ~~est~~ de pontificatu Clementis quarti, cuius prima pars de laude eius.

Clemens Provincialis de oppido Sancti Egidii super flumen Rodani, vir magne probitatis fuit, omnem mundi statum expertus, in quolibet exemplariter et virtuose se habens. Coniugatus in divino cultu filios enutrivit, famosus advocatus in utroque iure, in curia sancti Ludovici ad secretum consilium ab eo eligitur. Mortua uxore, clericus factus, propter vitam et virtutem laudabilem Podiensis episcopus primo, postea Narbonensis archiepiscopus, deinde per Urbanum Sabinensis cardinalis efficitur et legatus in Angliam mittitur, propter turbationem inter regem Henricum et comitem Symonem Montis-fortis. Existens igitur in Francia, quia in Angliam transire non potuit, in papam eligitur, et vetento scrutinio, pro eo a collegio mittitur. Ipse vero propter potentiam Manfredi in Italia et guerras in habitu monachali fortunanter venit Genuam, et propter multam precum instantiam cum lacrimis accepto pontificatu, venit Viterbium ibique residet. Creditur autem, quod eius vigiliis et orationibus et lacrimis multas quas ecclesia patiebatur tribulationes Deus extinxerit.

scrutinio

III pars. De coronatione Karuli et eius victoriis.

Hic Karulum vocatum per Urbanum ad recuperationem regni Sicilie, quem Romam senator vocatus, alium vero exercitum per Lombardiam misit, ad venit, in Sancto Johanne de Laterano per quosdam

cf. 165!